ACAD. ALB. REGIM. 1883. II.

INDEX LECTIONVM

IN

REGIA ACADEMIA ALBERTINA

FRIDERICO GVILIELMO

HEREDE IMPERII GERMANICI ET MONARCHIAE

ACADEMIAE ALBERTINAE RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

PER HIEMEM

ANNI MDCCCLXXXIII/IV A D. XV. M. OCTOBRIS

HABENDARVM



INSVNT HENRICI IORDANI OBSERVATIONES ROMANAE SVBSICIVAE

REGIMONTII

EX OFFICINA HARTVNGIANA

ACADEMIAE ALBERTINAE PRORECTOR

PAULUS KRÜGER

Dr. P. P. O.

OBSERVATIONES ROMANAE SVBSICIVAE


I

Titulum antiquissimum latinis elementis aeri inscriptum, qui repertus est ad lacum Fucinum, ad exemplar a Barnabeio curatum edidit Fiorellius in Notitia eruderationum italicarum a. 1877 t. XIII p. 328. ab huius exempli fide pendebamus qui titulum denuo editum enarravimus Büchelerus et ego pendetque Gamurrinius Appendicis ad Fabrettii Corpus inscr. ital. p. 83, 940. sed archetypon aes qui primus post Barnabeium examinavit Raphael Garruccius Addendorum in sylloge inscriptionum latinarum a. 1881 editorum p. 18 cum tab. testatus est uno certe loco eoque, in quo explicando operam et oleam perdidimus, Barnabei exemplum errore manifesto laborare: neque enim v. 7 quartum a sinistra elementum *t* esse, esse *c*. dixi in Ephemeride litteraria germanica quae Berolini editur a. 1883, 333 non potuisse de testimonii garrucciani veritate decidi comparato exemplo tituli photographo, quod amicitiae Helbigii acceptum debeo, at decisum esse Dresselii testimonio, qui examinato mea causa aere fucinensi per epistulam Roma d. 8 Febr. h. a. datam certiorem me fecit Garruccium verum dixisse. praeterea idem vir doctus in eadem epistula de aliis tituli elementis quid sibi visum esset perite ut solet exposuit. supererant tamen quaedam de quibus non prorsus mihi constaret. quare cum primum Romam redii h. a. mense Martio principem Alexandrum Torlonia precibus adii ut mihi quoque monumenti unici, quod sciebam in museo eius transtiberino adservari, religiose examinandi facultatem praestaret. quibus precibus cum liberaliter satis fecisset, relegi titulum conparatis in re praesenti exemplis Barnabei et Garruccii eisque commentis quibus me Dresselii voluntas instruxerat. unde non nihil adiumenti ad stabiliendam tituli tam lectionem quam interpretationem videor mihi adquisivisse.

Verbo tangam quod Henzenus me docuit evoluto Corporis inscriptionum latinarum academici tomo nono, quem spes est mox publici iuris factum iri, p. 349, Leonis de Rotrou epistula nunc constare repertum esse titulum ad oram Fucini lacus occidentalem inter emissarii claudiani ostium et vicum, qui nunc Luco appellatur, haud procul a muro quodam sat longo atque praecrasso, qui scriptori epistulae visus est antiqui oppidi alicuius munimentum esse.

ceterum figura regionis illius, quae ab urbe Avezzano meridiem versus abest milibus plus minus tribus, perbene agnoscitur in forma ea, quam A. Brisse et Léon de Rotrou libro, qui inscribitur Dessèchement du lac Fucino exécuté par le prince A. Torlonia, Romae a. 1876 edito inseruerunt.

Quod infra proposui exemplum aeris feci ut potui, hoc est legibus parui a domino haud imprudenter dictis tractando monumento perquam fragili. photographum igitur exemplum repetivi in eoque quam potui religiosissime supplevi quaecumque in aere clarius comparerent.



Leguntur igitur in aere haec: *caso cantovio|s aprufclano cei|p apurfinem e|salico menur|bid casontoni|a socieque doirom atoiera actia pro l$_{****}$nibus martses.* de singulis ita habeto. tabulae aeneae, quae m. 0,12 et alta est et lata, elementa latina egregio ductu eaque singulorum inter se similitudine incisa sunt, ut aequabilitatem elementorum in circumductis versibus modo dextrorsus modo sinistrorsus versorum plane insignem admireris. eorum sola lineis curvis efficta sunt *c d o q:* nam *d* quoque non solum v. 6 verum etiam v. 5 accuratius inspicienti prorsus eiusdem est farinae. contra abhorrent a curvatura *b p r s* . huius artificii constantia me movet ut de sexto a dextra v. 5 elemento aliter iudicem ac visum est Dresselio. verum est huius elementi certa vestigia angulatae *c* similem esse; superne huic quae accedit linea — sed tamen ut ipsam non attingat — est quidem ut ille viderat rima haud tenuis qua aes penitus diffissum est. sed hanc rimam siquis casu aeri impressam esse dixerit, rem invenerit vix ac ne vix quidem defendendam, elementum rectilineum cuius exempla similia ab hoc titulo prorsus absunt quodque quale fuerit, nisi aut *c* fuerit aut *t*, ego equidem non exputaverim. quare nescio an longe praestet rimam illam in parte elementi natam esse iudicare:

quod si feceris *s* elementi figuram sane ceteris et altiorem et distentu viliorem habebis, sed tamen quae non prorsus distet ab huius elementi forma prototypa. erit igitur ut supra scripsi *casontoni|a*. nam quod inter quinti sextique versuum initia a laeva insertum est minoris moduli elementum, quod *o* est in Barnabeii tabula, abest a garrucciana, id esse *a* Dresselius rectissime mihi adfirmaverat. ea res sola diu multumque mihi intuenti negotium dedit, quod summi apicis figura quae requiritur acuta aeris sive corrosione sive situ ita est inflexa ut paene ad uncialis scripturae curvationem videatur accedere. sed ut dixi haec recti acutique ductus inflexio non debetur ei qui litteram aeri incidit. praeterea tam clare comparet transversa linea in medio elemento sinistrorsum devexa, ut de elemento non videatur ullo modo posse dubitari. puncti, quod *o* elemento in barnabeiano exemplo subscriptum est quodque etiam Dresselius agnoscere sibi videbatur, nullam ego detexi ne umbram quidem. sed gravius est quod de secundo tertioque a dextra v. 6 elementis non posse dubitari confidenter pronuntio. visum erat posse ibi *n*, posse etiam *iv* legi, ut utrum *dono|m* an *doivo|m* dederit scalptor prorsus in incerto sit. hoc item visum esse Dresselio dixeram Ephemeridis supra citatae p. 334. sed mihi cum primum scripturam archetypi percucurri, tam claris tamque certis ductibus *doivo|m* illud scalptor effinxisse visus est ut quovis pignore spondeam ne minimam quidem de *dono|m* lectione stabilienda dubitationem posse moveri. ac primum quidem compara, lector, horum elementorum *oi* structuram illis *io* v. 1 plane geminam. deinde septem quae extant reliqua *n* elementi exempla accuratius inspice. eorum omnium ea est ratio ut littera, sive dextrorsum sive sinistrorsum decurrat scriptura, in eam partem quo decurrat inclinata sit, *i* littera ubique recta ductuque verticali insistat versuum itineribus. deinde ne uno quidem exemplo aliquatenus comprobatur distrahi potuisse hanc litteram in partis suas diffindive: quinimo solidum unumque est corpus eius quod continua incisione effingi debuisse dixeris. quod contra amplioris elementi *m* figuram non mirum est binis exemplis ita esse incisam vv. 7. 8 ut ultima eius linea seorsum et a ceteris discreta tribus eis quae antecedunt addita esse videatur. certum igitur est *doivo|m* non *dono|m* voluisse scribere scalptorem. — superest ut certum esse testificer v. 3 extremo post *e* litteram leviter laesam nihil scriptum esse, denique ut v. 7 quartum quintum sextum a sinistra elementa quae fuerit aperiam. quartum esse *c*, non *t* supra dixi. elementum constat sollemni in *c* effingendo circuli parte: ei superne accedit rima aeri impressa, non linea elementi partem effingens. quintum mihi videtur esse *a*, cuius transversae in medio hastae ductus in ipso mihi aere plus semel huc illuc verso certo vestigio apparuit. dubito de sexto elemento, et ita quidem ut nihil mihi obstare visum sit, quin *a* elementi pars summa supersit, immo simillimum veri hoc esse mihi visum est; si quis *p, r, b, d, e, f* extitisse dixerit non praefracte negabo.

Distinxit scalptor vocabula punctis eaque nunc quoque omnia certis vestigiis agnoscuntur praeter unum illud, quod litterae *a* inter versus 5. 6 additae subscriptum mihi certe non comparuisse supra dixi: praeterea quod v. 7 primae a dextra *m* iuxta positum est in situ lamminae

paene delitescit, sed tamen ut accuratius intuenti appareat. denique rursus incertum est an scalptor orationem puncto clauserit: mihi punctum illud quod Barnabeii Garrucciique tabulae v. 9 a sinistra ultimae *s* incisum exhibent non apparuit. regulam igitur scalptor secutus est quam religiose tenuere priscorum monumentorum scriptores. nam quod deest punctum inter *apur* et *finem* vocabula, in praepositione eaque cuius finalis ab insequenti sono spiranti attenuata est, non potest inter vitia scripturae numerari: potuit scribi *apur. finem* ut in monumento longe recentiore *af. Lyco* scriptum est, potuit *apurfinem.* at prorsus ignorant quid inter priscorum publicorumque monumentorum habitum legitimum et incuriam privatorum quorundam aevi inferioris plebeiam intersit, qui scalptorem huius lamminae in incidendis punctis neglegentius versatum esse quam in litteris suspicati sunt. quare quod Garruccius v. 3 pro illis *apurfinem e|salico* restituit *Apurfine Me|salico* quodque Carolus Pauli libri quem Altitalische Studien inscripsit Hannoverae a. 1883 editi p. 70 *e|salicom en ur|bid* pro illis *e|salico menur|bid,* ipsis auctoribus vitio vertet quicumque veterum monumentorum italicorum scripturam noverit.


Audio Mommsenum titulum nostrum voluisse abesse a volumine nono inscriptionum latinarum, quippe qui Marsorum sermonem sapiat, non Latinorum. cuius opinioni ne adstipuler faciunt praeter cetera particula *que* v. 6 et ablativi finalis *-bus* v. 8. in ceteris nec quod latinum esse non possit nec quod Marsorum sermoni certa ratione tribuendum sit invenio. quid autem mirum quod in titulo latino inter Marsos saeculo quinto aeri inciso sunt multa quae grammaticos exerceant? ac primum quidem haud abs re erit verba tituli vasculo aeneo inscripti (editi in Ephem. epigr. t. II p. 208) ascripsisse: *Q. Lainio(s) Q. f. praefectos pro trebibos fecit,* cum quibus Mommsenus conparavit verba lamellae aeneae inscripta CIL 1, 188 [. . *pr*]*aitoris pro po*[*plod*] . . . *te Diove deder*[*e*]. his similia sunt nostri tituli ea quae sua sponte intelleguntur *Caso Cantovios ceip Aprufclano(s) . . . socieque . . . pro l*[*ecio*]*nibus Martses:* nam quod *l*[*atro*]*nibus* scripsit Garruccius, abusus est suo more epitoma Festi neque evolvit Nonium. differunt tamen illi a nostro eo, quod illi enuntiata concludunt verbo *fecit, dedere,* hic verbo videtur carere. permirum hoc esse dixeram Hermae p. 10 neque abnuent qui veterum Italorum monumenta votiva legerunt. nunc Garruccius eadem observatione facta verbum coniectura recuperare est ausus. sic autem totius tituli formam redintegravit: *Caso Cantovio, S(purio) Aprufclano Cei, P. Apurfine Mesalico, Menurbid Casontoni socieque donom ato*[*l*]*er(ont) Bactia pro l*[*atro*)*nibus Martses.* Bactia igitur, cuius oppidi nomen e primo Dionysii Antiquitatum, ubi *Βάτια* est, ascivit, tres viros istos Minervae Casontonae — nam ita scribit — Sociaeque donum pro militibus Marsis attulisse coniecit: quam sententiam aeri intulit immutata semel interpunctione, conrectis litteris duabus, Minervae nominis forma in tertiam declinationem traiecta, dativo casu 'nunc primum' ut ait sexti casus finali littera aucto, nequid dicam de miris triumvirum istorum nominibus. haec omnia ita comparata sunt, ut serio refelli nec possint nec debeant: verum et primus recte legit *actia* neque absurde verbi recuperandi periculum fecit. atque illud quidem nobis quoque coniecturae captandae ansam dedit. nimirum

repertus est titulus inter emissarium Claudii et vicum Luco cuius nomen a luco Angitiae celeberrimo superesse constat: haud procul ab eo loco repertus est titulus henzenianus 5826 Angitiae sacer. quid igitur si Cantovium sociosque pro legionibus Marsis huic deae aliquid dono dedisse sumpserimus? *Angitiae* prisca litteratura *Ancitiai* scribendum fuit: quodsi 'adulterinum' in hoc nomine *n* — ita enim voluere veteres grammatici *anguis, angari* alia nasalis ante *g* et *c* usurpatae exempla adferentes — omittere licebat, *Acitiai* nomen deae facile eo decurtandi more, quem *Aprufclano* scriptum pro *Apruf(i)c(u)lano* monstrat, *Actiai* fiebat idque ipsum detracta rursus dativi finali in aere videtur extare. eodem modo nomen deae in titulo aesernino truncatum esse suspicatus est Büchelerus (v. Prellerum meum t. II p. VI): *Stenis Kalaviis Anagtiai diivai dunum deded,* ubi *a* secunda mihi videtur insitica esse, non primitiva. et hoc recte dictum esse satis confidenter pronuntiarem, si de litteris quae antecedunt certa affirmare liceret. antecedunt autem post punctum, quo *doivom* vocabulum a sequentibus distinguitur, *atoier**. ultimum elementum potest fuisse *a*, quod mihi simillimum veri visum est, potest etiam *p r b d e f;* quodcumque fuerit, vides Garruccii *ato[l]er.* locum ibi habere non posse nec posse ullo modo aliud pro eo verbum restitui. iam si fuit *a,* aut distincta inter se fuere *atoiera* et *actia* aut non fuere. illud si verum est *atoiera(i)* non potest non fuisse nomen appellativum proprio *A(n)c(i)tia(i)* praefixum, de quo caecuttio; hoc si admiseris, non dubito quin *Atoierbactia(i),* sive quo modo dubiam consonam restitueris, unum sit deae nomen, de quo item caecuttio. sed tamen illud ut sequar movet me regio ubi titulus est inventus. hoc certum videtur *doivom* non posse genetivum pluralis esse, esse accusativum; significat igitur pium sacrumve, qua de re dixi Hermae p. 10 s. hanc igitur tituli verbis structurae syntacticae formam tribuo: *Caso Cantovios Apruf(i)c(o)lano(s) ceip(os) apur finem Esalico(m)* (statuit), *menurbid casontonia(i)*, *socieque; doivom atoiera(i) A(n)c(i)tia(i)* — vel *Atoierbactia(i)* — *pro l[ecio]nibus Martses.* novum esse dixi quod Dresselius primus animadvertit, *casontonia,* non *casontonio* scriptum in aere. unde certum est non posse cogitari de scitu Casontoniorum nescio quorum. *casontonia* igitur aut est adiectivi ablativus finali *d* privus, aut est genetivus privus finali *i.* illud in titulo saeculi quinti vix quisquam admiserit: alterum igitur videtur utique probandum esse. *menurbid,* quod ferri posse negavit is quem supra dixi vim fecisse veteri scripturae inmutata interpunctione, eis argumentis quae Hermae p. 10 exposui nunc quoque defendo, ille quibus de medio tollere posse sibi videatur ignoro. iam si osca et latina comparaveris *Kumbennieis tanginud*, *senatus consulo, scitu populi,* hoc nostrum *menurbid casontonia(i)* facile decretum populi tribusve aut procerum primorumve eius significare posse concesseris. vocabulum *casontonia* quod hoc uno testimonio innotescit, non mirum est in titulo cui praetoris imperatorisve nomen novum *ceip(os)* debemus. audeo veriloquium vocabuli captare. *casa* igitur latinum vocabulum, quod tugurii notioni proximum est, in curiae conventusve notionem potuisse deflecti nemo facile negaverit: deflexum esse suffixo duplici, ut excreverit in eum ambitum, quem praeter alia multa vetustissimi sermonis italici


exempla Paelignorum illud *pristafalacirix* commonstrat, ne hoc quidem video quibus possit redargui rationibus. sed manum de tabula. omissum in titulo nostro verbum nequis prorsus aversetur, cautum est harum observationum capitulo tertio.

II

Haud derunt profecto qui cum me tertio ad dresselianum titulum redire videbunt vel quaestiuncularum aucupem iterum vocitent vel graece latineque stultitiam ridere pergant hominis in inscriptione nugatoria scurrae romani — nam ita locuntur — misere defixi. ego hoc agere pergam ut verba eximii monumenti similium rerum comparatione atque sermonis legum perquisitione a nebulis, quibus operta iacent, paulo magis liberem neque vero patiar, ut imperitorum manus lectionem elementorum prorsus certam attrectent. atque hoc quidem cum factum esse vidissem, nil antiquius habui dum Romae commoror quam ut Dresseli thesaurum denuo intenta cura inspicerem. testor igitur hominem doctum eum, qui Michaeli Bréal de duobus locis tituli diversa ab eis rettulerat, quae Dresselius legit, falsa rettulisse. ac primum quidem negaverat ille in his *dzenoine* alterum elementum esse *z*: dixit esse *u*. unde et Bréal in ephemeride Revue archéologique a. 1882 m. Augusti p. 82 ss. et C. Pauli, qui amplo apud nos commentario quem supra memoravi titulum enarravit, *duenoi* vocabulum ab insequenti *ne* diiunctum *bono* significare contenderunt. deinde idem ille vir doctus negavit in eis quae proxime subsecuntur recte lectum esse *maaostatod*: tertium elementum testatus est esse *l*, quo quidem invento Brealius Pauliusque boni malique notionem et simpliciter et perapte sensui sententiaeque tituli insinuari opinati sunt. at falsus est ille utrobique: et scito nunc mihi haece scribenti ectypum gypseum vasculi affabre factum, quod Dresselius mihi dono dedit, in manibus esse. sic igitur accipe. certo apparet litteram insiticiam inter *d* et *e* non esse *u*; inseram trium litterarum simulacrum ex archetypo exceptum ut quid rei sit appareat:



scriptor si *u* litterae formam inserere voluisset, *e* antecedentis partem inferiorem aliquatenus secunda elementi hasta trafixisset: quodcontra apparet in ipsa eum *e* litterae hasta primaria forti ictu initium scribendi fecisse, voluisse autem scribere lineam curti tenoris, eique desuper leniore vel certe graciliore ductu verticalem infigere. huius lineae ductum a dextra incepit apice sursum fortiter inciso: dein deorsum eam deduxit. liquido apparet inspicienti sic rem habere, neque vero casu scriptorem a capite huius lineae stilum dextrorsum elabi esse passum. unde certum iudico litteram insiticiam integram et incorruptam esse nec posse esse *u* litteram. relinquitur ut sit *z*, quod agnoverat Dressel. inseram alterius elementi simulacrum item ex archetypo exceptum cum eius elementi quod a dextra ei adiunctum est:



legerat *aa* Dresselius : voluit esse *al* is qui ad Brealium rettulit. *l* elementi exempla in titulo desunt; sed liquido apparet inspicienti *a* litterae formam in hoc titulo sollemnem hoc loco integram effictam esse, nisi quod stilus scriptoris, dum vasis superficiem convexam superat, elementi priorem et extremam partem altius incidit, mediam scilicet in cacumine sitam tam leni fugientique ductu deproperavit, ut umbram, non rimam argillae impressisse videatur. et vide mihi lenem huius lineae inflexionem in *a* litterae hasta sinistra effingenda solitariam. unde certum iudico *a* litteram hoc loco scriptorem dedisse : *l* litterae, utcumque eam tibi finxeris ne similitudinis quidem specie congrua est. quare ut dixi falsa ille ad Brealium rettulit fideique vel peritiae Dresselii iniuria detraxit.

Superest ut redeam ad eam controversiam quae mihi cum Dresselio intercessit de elemento sive id signum fuerit, quod extat inter vocabula *iove* et *sat* et q. ss. Dresselius igitur scriptorem linea illa praelonga — excedit enim utrinde mensuram litterarum et ita quidem infra excedit ut, quod in tabula Dresselii non plene expressum est, in ipsum vasis marginem inrumpat — ea igitur scriptorem conicit ille Annalium a. 1880 p. 164 vocabula distinguendi periculum fecisse neque vero amplius in opere perstitisse : extare autem huius signi diorthotici exempla alia eorumque elenchum dedisse Fabrettium Supplementi ad inscriptiones italicas primi p. 224. mihi aliter visum esse dixi Hermae a. 1881 p. 228. neque vero nunc me paenitet eorum quae ibi exposui : lineolas istas vix punctorum paulo dilatatorum mensuram excedere neque umquam elementorum quibus insertae sunt modulum adsequi. praeterea nescio an non liceat suspicari hominem litteraturae nitide ac paene eleganter repraesentandae peritum singulari exemplo interpunctionem attentasse. contra quid obstet quo minus eum *i* insiticiam in angustiis loci utrinde produxisse statuamus, nunc quoque confiteor me ignorare et confessus sum Dresselio dum in museo eius versabar.

Verbum non adderem, nisi viderem Brealium non solum lectionibus falsis ab homine inperito subitaria opera procusis verum etiam suismet ipsum argumentis Carolo Paulio, diligenti verborum huius tituli indagatori, mirum quantum inposuisse. quem quidem numquam in eam quam evolgavit interpretationem delapsurum fuisse persuasum habeo, nisi Brealio fidem habuisset de deorum Saturni Opisque Toitesiae nominibus utique ex ordine verborum tituli expellendis : quo impetu longius ipse provectus etiam Iovem a principio, hoc est a legitima sede, sane quam audacter deturbavit. quod quo iure fecerit meum esse puto paucis declarare: de toto Paulii opusculo quid sentiam breviter dixi in Ephemeride litteraria germanica h. a. p. 811 s. — Iovis igitur Saturnique nomina quinti saeculi sermone indigna visa sunt: unice convenire huic aetati *Diovei* et *Savet(urno)*, si tamen hoc breviare concessum fuerit. ac de Iove quidem quod respondeam Paulius ipse mihi suppeditavit p. 13 cum speculi musei Kircheriani CIL1,56 inscriptionem *Iuno*, *Iovei*, *Hercele* priscis temporibus adsignavit: addidi in Prelleri commento 1,186 tituli spoletini, quem deinde prooemio indicis hiberni a. 1882/83 p. 16 ss. pluribus enarravi, exemplum *Iove.* utrumque ut longe est antiquius aliis quibus *Diovi* perscriptum invenimus, ita

nostri tituli aetate fortasse non nimis inferius. in hoc igitur *Iovei* non posse scriptum esse nego. *Sat(urno)* qui a quinti saeculi scriptura abiudicat eum nego similia circum spexisse fluctuantis sermonis exempla. Martis nomen quin a *Mavors, Maurs* primitivis formis contractione effictum sit, vix cuiquam dubium erit: atenim brevior forma inde ab antiquissimis temporibus iuxta primigeniam frequentabatur (v. quae dixi ad Prellerum 1,335 adn. 4). sed ne hoc quidem concedo quod idem vir doctus contendit, non demonstravit, Saturnum primitus Saveturnum dictum esse. audi certissimam quam praedicat p. 10 demonstrationem : inter Etrusca hominum nomina esse nomen *Sautri, Satri;* idem latine dici *Satrius, Saturius, Saturnius, Satrenius;* nomen ad Etruscos delatum esse a priscis Italiae incolis; et quoniam hi ipsi antiquitus *Sautrii* dicti sint, non *Satrii*, inde consectarium esse, ut nomen dei, a quo hominum nomina detorta sint, apud priscos Italiae incolas *Saveturnos* fuerit. quid si contra contenderem Etruscos *Satrius* nomen inserta *u* deformasse? si etiam negarem quicquam cognationis istis nominibus intercedere? si ex ipso illo Etruscorum studiorum tertio fasciculo p. 21, quem citat, efficerem Etruscis non magis Saveturnum innotuisse quam Latinis? denique si memorarem Ritschelium Opusculorum t. IV p. 272 ss. de *Să-ĕ-turnus* formae origine ita absolvisse, ut siquis argumenta eius silentio transeat nihil egisse censendus sit? sed praeterea Paulius ait in titulo interpunctione carente non posse admitti breviatum dei nomen. quid non potuerit scribi ea aetate, cuius monumenta litterata paene omnia interiere, nescio : hoc scio *Sat* scriptum pro *Saturno* cum pisaurensium titulorum scripturis insolentibus *Iunone re., deiv. Nove sede, mat. Matuta* perbene comparari. Saturnum foras egredientem sequitur Ops Toitesia. neque vero placuere Paulio suspiria graecissantia, quae huius nomini Brealius substituit, et iure displicuere. sed ipse cum dixit nomen illud inter eius generis phantasmata esse censendum, quibus uti non deceat in quaestionibus via ac ratione instituendis, vereor ne iusto iniquius de nobis iudicaverit. nam cum nomen adiectivum in *-sius, -sia* mittens agnovisse nobis videbamur, similium comparatione fulti ita ut par est argumentati sumus; de adiectivi radice cum diversas inter se sententias diximus *tut-us* adiectivum alius alius *tut-unus* substantivum arcessentes, quod utrumque pertinet ad numinis huius rationem aperiendam, nescio quo iure vanarum imaginationum crimine arcessamur. dixi quibus ego rationibus ductus Iovis Saturni Opis Toitesiae nomina in titulo sane multis dubitationibus obnoxio retineam. quod qui recte factum esse iudicent, certis concedent legibus cohiberi opus tituli recte distinguendi atque intellegendi.

III

Devenio ad praenestinos titulos exeunte anno 1882 repertos. de quibus praeter relationem a Fiorellio Notitiae eruderationum italicarum a. 1883 p. 18 s. insertam Henrici Stevenson commentarius extat editus una cum photographis eorundem imaginibus in actis minoribus Instituti nostri romani mm. Ian. Febr. h. a. cuius viri docti operae diligenti et accuratae depromo quae in rem nostram faciunt. ego quo minus lapidem nunc quoque, ut fama fert, in agro iacentem viderem et temporis angustiae prohibuere et Iuppiter pluvius.

In agro igitur praenestino inter viam praenestinam et labicanae diverticulum areae ingentis quadratae antiquitus sacris destinatae vestigia in eaque relliquiae rerum sacrarum detectae sunt. et harum quidem duo sunt genera: alterum est fictilium vasculorum et sigillorum ingens numerus, quae omnia videntur in thesauris in solum saxumque depressis dis sacra fuisse; alterum est pyramidum e tofaceo lapide factarum et superne decisarum, quarum pars conscripta est, reliquae non item: sed omnes videntur fuisse bases sigillorum aeneorum dis dono datorum, quorum unum extat integrum, est autem Herculis signum pellem leoninam umero sinistro gestantis, bracchio dextro, qui nunc periit, clavam ut videtur tollentis: ceterorum vestigia supersunt certa. trium basium tituli supersunt, integri duo, imminutus tertius sunt autem hi

1. Ꞁ · GEMEΝΙO · Ꞁ · F · ΓEꞀ ì
HERC^{O}ꞀE · D^{O}N^{O}
DAT · ꞀVBS · MERT^{O}
ΓR^{O} · SED · SVEQ
EDE · ꞀEIGIBVS
ARA · SAꞀVTVS

2. Q · K · CESTIO · Q · F
HERC^{O}ꞀE · DONV
d EDERO

3. *p* R̄O *sed?*
leig IBVS
TO
TΓ

consentaneum est me non repetere quae de his titulis Stevensonus recte disputavit: paucis declarabo et quid novi ex his titulis ad sermonis latini prisca Praenestinorum litteratura expressi sacrorumque oppidi latini notitiam accedat et quid aliter de his rebus statui debere videatur atque adhuc factum est.

De lectione versus primi tituli primarii constituenda dubitant qui eum videre: certum est cognomen L. Gemenii lapidi ita incisum esse, ut ultima elementa duo in dextro eius margine extent alterum alteri subiectum signoque lineolae transversae ad primum versum revocentur. prius elementum est *t*, ultimum aut *e* aut *d* esse posse visum est Stevensonio, ut utrum *Pelte* aut *Petd* legendum sit, incertum sit. in photographo exemplo *o* exigui moduli mihi videtur comparere: quod elementum si extat in lapide, apparet *Pelto* graecum esse *Φίλτων*. sed videant de hac re quibus lapidem denuo examinare licet.

Non fugit editorem verba tituli primarii sic legenda esse *L. Gemenio(s) L. f. Pelt$_{*}$ Hercole dono dat lub(e)s mer(e)to pro sed sue(s)que e(s)dem leigibus ara Salutus.* sed idem cum dixit hiare orationem omissis post *leigibus* quae cogitatione supplenda sint *quas habet* 'o quello che più piacerà', mihi quidem opinionem suam vel ob hanc liberalitatem gravissimis dubitationibus obnoxiam neutiquam probavit. fac enim convenire titulo sacro sermonis genus eiusmodi luxatum, ne hoc quidem facile concesseris convenire sensum sententiamque. provocavit ille ut par erat ad titulos ararum quae Narbone Numini Augusti, Salonis Iovi dedicatae sunt (illam habes apud Wilmannsium n. 104, hanc in CIL 3, 1933), de quibus dixi Symbolarum p. 253 s. sed in titulo narbonensi quae leguntur capita legis arae § *Si quis huic arae donum dare augereque volet, liceto eademque lex ei dono esto que* (sic) *arae est* § *ceterae leges huic arae titulisq(ue) eaedem sunto quae sunt arae Dianae in Aventino,* eorum priore constituitur dona,

quibus haec ara augeretur ut eiusdem essent iuris quo ipsa ara, altero ad legem arae aventinensis ablegamur. atenim scriptor tituli praenestini si voluisset constituere quod constituentem eum fecit Stevensonius, ut dona in eo fano data eodem iure essent quo essent in fano Salutis, talia fere dedisset *e(s)dem leigibus ques dona dantur ad aram Salutus*, non *quas habet a. S.* sed idem vir doctus dubitaverat an sic potius inconcinnam sententiam restitueret *eisdem leigibus (quae sunt) ara(e) Salutus*, quam coniecturam postea omisit propter dativi casus formam in nomine appellativo insolitam. ego utrumque conatum reicio propter figurae detractionis genus non solum a dedicationis titulo alienum verum prorsus inauditum. optime omnia procederent si Praenestinis saeculi sexti licuisset quod licuit Romae poetis saeculi septimi octavique, ut ad Graecorum exemplar properantes ab *idem* pronomine dativum casum suspenderent — nam in tali titulo cur forma dativi non potuerit truncari suffixo equidem non perspicio —: verum inaudita rursus esset in latino sermone illius aetatis haec syntaxis, quam nemo unus inter prosarii sermonis auctores classicos attingere est ausus. nam quod Drägerus syntaxeos quam historicam vocavit t. I p. 447, ut Madvigium erroris coargueret, Ciceronem eiusdem structurae adseclam produxit, nescio cur noluerit ab Haasio commenti ad Reisigi scholas p. 416 adn. 410 edoceri. unum relinqui videtur, ut grammatica salva sit, ut incisa post vocabulum *sue(s)que* oratione et admisso in eis quae secuntur ellipseos genere legitimo legamus *L. Gemenio(s) L. F. Pelt(o) Hercole dono dat lub(e)s mer(e)to pro sed sue(s)que. e(s)dem leigibus ara Salutus (est).* nam quod in hoc quoque enuntiatorum ambitu insolens est, ut qui deo donum det in fano aliquo, is aliqua se lege dare sentiat quidem sed verbis id significare omittat, ea est breviloquentia, quae neque grammaticae vim facit et eis quae secuntur commode explicatur: scilicet eodem esse iure aram Salutis quo iure sit fanum in quo hoc donum datum est quode agatur. scribendi igitur facultate L. Geminius, sive potius is quem iussit titulum lapidi incidere, haud ille liberali utebatur. neque vero felicius res cessit scriptori tituli alterius, quem praeter literulam unam integrum mansisse vacuum post vocabulum *dedero(t)* teste imagine photographa spatium evincit. scripsit is *Q. K. Cestio(s) Q. F. Hercole donu(m)* [*d*]*edero(t)*. multus est Stevensonius in restituenda Cestiorum Quinti Kaesonisque Quinti filiorum nominis gentilicii forma plurativa: scilicet abiecta, quae saliorum carmina redolent, forma nominativi in *oe* mittente, Praenestinum hominem osce locutum esse suspicatur, qui *Cestio(s)* pro nominativi plurali intulerit: latine enim umquam quemquam sic locutum esse quis crediderit? mihi longe et veri similius et sermoni praenestino inlitterato aptius videtur esse, si scriptor tituli pro pleniore formula *Q. Cestio(s) K. Cestio(s) Q. F. — dedero(t)* gentilicium nomen fratrum singulari numero expresserit.

Titulum primarium saeculo sexto scriptum esse ostendit editor argumentis a genere litteraturae sermonisque ductis: inter quae cum sint multa quae temporum fines ultro citroque evagandi potestatem faciant, duo inveniuntur quibus quasi firmis continemur vinculis, admissa *g* littera bello cum rege Pyrrho gesto recentior, non admissa in secundam declinationem nomi-

num *o* primitivae loco littera *u*, quam ante belli Punici secundi initium Romae certe non esse admissam satis constat. ea tempestate Praenestini foederis cum populo romano icti condicione quam amicisissimo consilio utebantur. posse igitur eo tempore civem praenestinum dis patriis suis aliquid eis legibus dono dedisse, quas Romae conlegium pontificum sacras sanxisset, non nego, dum modo memineris huius conlegii ius potestatemque tunc ad foederatorum sacra regenda non pertinuisse. neque vero concedo certa ratione posse demonstrari factum id esse a. L. Geminio Praenestino : contra, si fecisset, non dubito quin romanam se legem sequi aramve Salutis illam Romae extare, non Praeneste, more sollemni significasset: scripsisset nisi me fallit opinio mea, immo non potuisset non scribere talia *e(s)dem leigibus Romae ara Salutus* ut Narbone Salonisque aris inscriptum est *leges huic arae eaedem sunto quae sunt arae Dianae in Aventino* (sic marmor narbonense : *monte* addit salonense). itaque aram Salutis illam, cuius leges Geminius antestatur, Praeneste fuisse constitutam iudico.

In sermone praeter omissam ablativi pluralis finalem in *sueq, edem* nil est quod offendat; praeter insertam in *leigibus* vocalem nil quod non quivis sponte sua expediverit. et illud quidem quam maxime offenderet, si in titulo urbano lectum esset. Romae enim praeter nominativum singularis numeri declinationis secundae et pauca tertiae eiusdem casus exempla finalem *s* non detractam invenimus, quanquam ne nunc quidem de titulo in via ostiensi reperto CIL 6, 1277, in quo Garruccius Syll. 567 *aidile pleib. opus probavero* legerat, omnis dubitatio sublata est. sed etiam extra urbem praeter nominativum pluralem in titulo pisaurensi notissimo *matrona pisaurese dono dedrot* detractionem finalis longius non esse progressam adhuc credebatur. offendimur igitur aliquantum detracta finali ablativis plurativis, cum praesertim ea detractio ab eo genere scripturae, quod Praenestinis familiare erat, prorsus sit aliena. accedit quod in his ablativis evanidam consonam antecedit vocalis longa, eaque diphthongi vicem obtinens, quae detractioni praevertere solet. nil igitur egit Stevensonius cum dixit magno exemplorum numero detractionem finalis in his ablativis firmari. relinquitur ut suspicemur — nam sciendi potestas adhuc adempta est — Praenestinorum ore *sues*, *e(e)s* ablativos compositionis vicissitudine finalem abiecisse aut decurtasse haec vocabula ratione orthographica, cuius alia exempla nunc quidem desiderantur. sed offensionem huic scripturae haud mediocrem inesse nolui tacere.

Adiecta *i* in vocabulo *leigibus* quibus exemplis defendatur non fugit editorem: nam in decreto hispaniensi Aemilii Pauli *decreivit* legitur et in titulis urbanis duobus, altero pervetere, quem supra citavi, *pleib(i)*, altero sullani temporis CIL 6, 3823 *pleibeium;* qua ratione regatur non prorsus certum est. mihi certe neque Ritschelii Opusc. I. II. p. 775 Auslant. *d* p. 16 neque aliorum de illis commenta plane satis faciunt, nequid dicam de Paulio Studiorum supra citatorum p. 26, quem hoc novo exemplo praenestino meliora de tituli hispaniensis sinceritate edoctum iri confido. hoc videor mihi intellexisse oscam vocabuli formam, quae in lege Bantina latine perscripta est *ligis*, quamque *lígis* in archetypa litteratura fuisse consentaneum est, eam non nihil conferre ad aperiendam praenestinae scripturae rationem. scilicet edocemur latinum

sermonem haud secus atque oscum ad declinandam *e* longam propensum fuisse : verum mature qui in urbe atque in re publica populi romani litteras artemque grammaticam moderabantur, eam a scribendi consuetudine licentiam arcere instituerunt, e qua inter Oscos ne magistratus quidem eique qui publico consilio sermonis cultioris leges dictabant unquam sese expediverunt. quod discrimen vel ad syntaxin formulasque sollemnes pertinere osci tituli, qui Pompeis repertus est, exemplo prooemii aestivi h. a. p. 18 docui. ita *pleibs*, *pleibeius*, *leigibus* rara sunt plebei hoc est italici sermonis exempla, quae romani magisterii severitatem furtim haud secus evasere atque *af*, *ar*, *apur* scripta ante insequentes semivocales liquidasve. sed in finalibus vocabulorum a licentia illa defendendis vel romanis magistris rem minus feliciter cessisse et notum est nec mirum videbitur.

Datum Regimontii d. 27. m. Maii a. 1883.

I. SCHOLAE THEOLOGORUM.

I. Professorum ordinariorum.

HENR. IOAN. MATTH. VOIGT, theol. Dr., P. P. O. tertius, Decanus.

I. Publ. Commilitonibus facultatem docendi in scholis publicis sibi comparaturis interpretatione Confessionis Augustanae fidem christianam et historice et dogmatice diebus Lunae et Iovis h. IV breviter exponet.

II. Privat. 1) Historiae ecclesiasticae partem primam quinis diebus h. X enarrabit.

2) Theologiae dogmaticae partem alteram sive specialem docebit quinquies h. XI.

III. Privatissime et gratis. Seminarii theologici sectionem systematicam die Veneris h. IV et V dirigere perget.

IOAN. GEORGIUS SOMMER, theolog. Dr., P. P. O. primarius, ordinis Theol. Senior.

I. Publ. Antiquitates politicas et civiles Israelitarum h. VIII semel vel bis p. hebd. describet.

II. Privat. 1) Genesin interpretabitur quinis scholis h. IX.

2) Psalmos repetendo tractabit h. VIII diebus Martis et Veneris.

III. Privatissime et gratis. Seminarii theologici sectionem exegetico-criticam V. T. dirigere perget die Iovis h. V et VI.

HENR. GUIL. ERBKAM, theol. Dr., P. P. O. secundus.

